

## CCCXVI.

*Idem Sigismundus Comiti Petro de Forgách priuilegium castrum aut fortalicium quoddam in bonis suis construendi largitur, absque tamen nocumento alieno. 1408.*

Sigmond király Forgách Péternek és maradéka-  
inak telyes engedelmet ad erre, hogy várt vagy is  
védelem erősséget szabadon épithessen a' maga Ghy-  
mesi vára környékében akár mellyik falujában kü-  
lönös kegye jeléül, de csak egy helyen és hogy az-  
által senkit meg ne sértsen jussaiban. MCCCCVIII.  
esztendőben.

Mocsári l. c. p. 113. Ex archiuo Comitum Forgách fasci-  
culo 2. nro 37.

## CCCXVII.

*Sigismundus Rex, ac Barbara Regina societatem Draconis condunt, aggregatisque Baronibus ac potioribus regni statutis prouident mutui auxilii gratia. A. 1408.*

Sigismundus Dei gratia ~~Rex~~ Hungariae, Dal-  
mat. Croat. Ramae, Seru. Gallitiae, Lodomeriae,  
Cumaniae, Bulgariaeque Rex, ac Marchio Bran-  
denburgen. Sacri Romani Imperii Archicamerarius  
nec non Bohemiae et Lucenburgensis Haeres ac  
Barbara, eadem gratia, praedictorum regnorum re-  
gina, ipsius Domini Sigismundi Regis conthoralis,  
Vniuersis Christi fidelibus, praesentibus pariter et  
futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in  
salutis Largitore. In throno regiae Maiestatis ipso  
dispensante collocati, qui pro redemptione nostri  
generis, a supernis coelorum habitaculis in has exilii

mundani passibiles habitationes descendens, christi-  
 anae Religionis normam suo praeciosissimo effuso  
 sanguine et multorum sanctorum suorum **M a r-**  
**t y r i o** dedicauit, eiusdem nomine firmamentum  
 factus et exemplum operum suorum in perpetuam  
 obseruantiam demandando, cupientes regiminis ab  
 Alto commissi nobis curam iuxta ipsius nutum feli-  
 cius, vti eo permittente possumus, ad salutis fru-  
 ctum gubernare; illud inter alia semper praestanti-  
 us aduertimus, quo sicut bonam famam nostram, et  
 sub nostrarum **Maiestatis** nominibus militantium in  
 saecularib. negotiis augmentamus, eo vberius et per-  
 fectius ad aeterni regni praeparandas vias non solum  
 factis, verum etiam signis palpabilibus, ab aeterni  
 regni Gubernatoris exemplis ortum ducentibus, no-  
 stra et nostrorum corda suscitemus in laudem, glori-  
 am et Magnificentiam Nominis Saluatoris, et re-  
 demptoris nostri Jesu Christi, filii Dei viui, qui post  
 assumptionem fragilis humanae corporalitatis, pro  
 nostris reparandis incommodis, viuificae Crucis  
 vexillum sua gloriosissima passione sanctificauit, eius-  
 dem quoque sacratissimae Crucis, quam idem Do-  
 minus noster Jesus Christus ad infernalis claustrum de-  
 solationem, post resurrectionem suam ferens, anti-  
 qui hostis illius Draconis tortuosi, inferorum malorum  
 Patris, caput ipsius crucis misterio deflexit, in  
 cuius salutiferae crucis auxilio gloriosissimus Dei  
 Tyro, Beatus Georgius Martyr draconem contra se  
 venientem aggressus se Deo commendans, lancea vi-  
 brata vulneratum in terram proiecit, et postrauit,  
 et sanctissima Virgo et Martyr Margaretha, pro  
 nomine Christi, hostibus ipsius Jesu Christi tradenti-  
 bus ore Draconis absorpta sub inuocatione et spe-  
 ramento admirandae Crucis, Dracone diuiso, per

media exiuit illaesa: Vna cum Praelatis, Baronibus et Proceribus Regni nostri, quibus participandum in hac parte ducimus ob signum et effigiem pure nostrae conversationis et intentionem, in elisionem perniciosorum ipsius perfidi hostis et antiqui Draconis sequacium et militum paganorum vtputa et schismaticorum aliarumque nationum Orthodoxae fidei ac Crucis Christi ac regnorum nostrorum aemulorum, ipsius quoque sanctae et salutiferae fidei religionis, sub Vexillo Crucis Christi triumphantis, toto nisu seruationem augmentum et defensionem, signum seu effigiem Draconis incurruati per modum circuli, cauda sua collum circum girantis diuisi, per medium dorsi, ad longitudinem a summitate capitis et nasi vsque ad extremum caudae, effluente sanguine in interiori rima scissurae alba, et sanguine intacta, per longitudinem rubeam crucem, sicuti et quemadmodum sub ipsius gloriosi Martyris Georgii vexillo militantes, Crucem rubeam, in albo campo, ferre solent gestantes et habentes, per nos ac fideles regni nostri Barones et Proceres apparentem, et publice portandam et ferendam eligimus, acceptamus, et per modum societatis, ac conformis decoramenti duximus induendum; verum, quia subscripti fideles Maiestatum nostrarum et regni nostri Barones et Proceres, a primaueo felicitis nostrae coronationis tempore, quorum praesidiis, industriis, ac consilii maturitate, virtuosisque actibus et complacitiis regimen nostrum gubernamus. non solum affectionem sinceram et fidelitatem ad nos continuando; solitam, verum etiam tam in nostris releuandis oppressionibus, seu sufferendis incommoditatibus, quam in nostris utilitatibus ampliandis, eorum fidelitatis debitum exoluentes, maiora solitae deuotionis proculdubio ma-

nifesta nobis exhibuerunt argumenta, nostris beneplacitis, votis, et vestigiis, iugiter inhaerentes, et nostris aemulis tam intra, quam etiam extra regna nostra sedule repugnantes, praegratum itaque et acceptabile obsequium et praeclaræ fidelitatis sinceram dulciam et fidelium seruitiorum virtuosa et perspicua merita, in omnibus nostris et regni nostri creberrimis, asperis, et prosperis validis expeditionibus, et successibus sic et adeo prouisionis consilio nobis assisterunt, quod nobis frequenter in multa necessitate positus, diuina fauente clementia, et periculis extitit obuiatum, et nobis fauor accreuit, et multa prouenerunt; et nunquam deuotio ipsorum, quam ad nos gestarunt, alicuius diminutionis sensit detrimenta; sed assidue de bono in melius suscepit incrementa, et noster regius animus in eorum strenuis actibus et virtutum eminentia amoenam quietem et pacis pulchritudinem est consecutus. Denique de virtute in virtutem se transferentes, sacro regio djademati et regnis nostris antefatis, variis hostium insultibus lacessitis, vberrima commoda, et laude digna fidelia seruitia, sine temporis intervallo, non sine personarum, proximorum, bonorum et complicum ipsorum morte, interitu, et periculis studuerunt et adhuc anhelant impendere in futurum: Quibus omnibus in arcano nostrae regiae claritatis perspicua animaduertentia pensatis, continuatis ad nos, ~~imo~~ auctis indefesse sinceris eorum affectibus, in votis habemus, votiuque desideramus, eos prouehere ad sublimiora, ac maiori honore et reuerentia praeuenire, vt quo altioris gradus statum ascendent eductificent vberius, eo maiora apud nos praemia comparent, eoque pateat latius ipsorum Claritas meritorum: Infrascriptos fideles R. nostri Bar. et prae-

fatam nostram societatem, ad ferendam ipsam formam seu signum Draconis, animo deliberato, duximus recipiendos<sup>④</sup> et expresse spondentes, bona fide nostra, praefatis nostris fidelibus Baronibus et eorum cuiuslibet, in huiusmodi societatem receptis, honorem, Treuerentiam, licitos exhibere, eosque et quemlibet eorum ad sublimiora prouehere, pure et iuste, prout decebit, absque fraude, viduas et orphanos eorundem cuiuslibet, qui ab hac luce, volente Deo decederent, in possessionariis et aliis ipsorum Juribus et causis quibuslibet, ac si proprie nostri Orphani, et viduae censerentur, a cunctis Impetitoribus seu molestare volentibus posse tenus protegere, et defensare, ipsorumque et cuiuslibet eorundem oppressiones releuare, ac a verecundia, dampno, nocumento, grauaminibus et aliis quibuslibet eis imminentibus periculis, secundum possibilitatis nostrae exigentiam, cordialiter praecustodire, ita tamen, quod ea secundum Deum cum honore facere nos conueniat et expedire. Volumus etiam, vt vbi contra aliquem Ipsorum fidelium nostrorum Baronum vel Communitatis in ipsam societatem receptorum qualicumque ingenio directe vel indirecte nostram Maiestatem indignari contigerit; tunc non cum vehementia vel furia contra talem procedere queamus, sed dictis fidelibus Baronibus nostris, societatis praemissae pure, praedicere teneamur; et ipsi Barones nostri societatis praetactae, ex parte talis, contra quem nostram Maiestatem indignari contigerit, plenam iustitiam nostrae Maiestati administrare teneantur, Nosque ea, quae in talibus ipsi Barones dictauerint, grata habebimus et accepta. Et Nos, Praefata Domina Barbara regina similiter per praesentes bona fide nostra promittimus, et assumi-

mus omnia et singula praemissa, per dictum Domi-  
 num Regem Sigismundum, Dominum et maritum  
 nostrum Clarissimum promissa et assumpta temporibus  
 semper successiuis, pura mente, inuiolabiliter ob-  
 seruare in omnibus secundum consilium et directio-  
 nem ipsorum fidelium Baronum procedendo. Nos  
 vero Stephanus Despoth, Dominus Rasciae, item  
 Hermannus Comes Cily et Zagoriae, Comes Frider-  
 ricus, filius eiusdem, Nicolaus de Gara, Regni Hun-  
 gariae Palatinus, Stiborius de Stiboricz alias ~~Vaiuoda~~ <sup>Vaiuoda</sup>  
 da Transylvanus, Joannes filius Henrici de Thamas-  
 sy, et Jacobus Laczk, de Zantho, ~~Vaiuoda~~ <sup>Vaiuoda</sup> Tran-  
 sylvani, Joannes de Maróth Machouiensis, Pipo de  
 Ozora Zewreniensis, Bani; Nicolaus de Zeech Ma-  
 gister Tauernicorum regalium, Comes Karolus de  
 Corbauia, ~~supremus~~ <sup>supremus</sup> Thesaurarius regius, Symon  
 filius condam Konye Bani de Zecheen, Janitorum,  
 Comes Joannes de Corbauia, Dapiferorum, Joannes  
 filius Georgii de Alsaan Pincernarum, Petrus Cheh-  
 de Leva Agazonum Regalium Magistri, Nicolaus  
 de Chak, alias ~~Vaiuoda~~ <sup>Vaiuoda</sup> Transylvanus, Paulus Bys-  
 senus, alter Paulus de Peth, pridem Dalmatiae,  
 Croatiae ac totius Sclauoniae Regnorum Bani, Mi-  
 chael, filius Salamonis, de Nadasd, Comes Siculo-  
 rum regalium, Petrus de Peren, alias Siculorum  
 nunc vero Maramorossiensis Comes, Emericus de  
 eadem Peren secretarius Cancellarius regius et Joannes  
 filius condam Domini Nicolai de Gara Palatini,  
 praescriptorum regnorum Barones; ad praemissam  
 societatem electi, sane considerantes, qualibus,  
 quantisque beneuolentiis, honoribus, reuerentiis, et  
 fauoribus, praefati Dominus Rex Sigismundus et  
 Barbara regina Domina nostra, conthoralis sua erga  
 nos corporaliter afficiuntur, pensantes etiam, quod

ipse Dominus noster Rex nostra fidelia seruitia, nostrorumque fratrum, proximorum, amicorum, et complicitum mortem et sanguinum effusionem in armario sui cordis reco dita habens, nos et nostrum quemlibet quam plurimis bonis antidoto regio remuneravit, et adhuc secundum exigentiam nostrorum seruitiorum, prout decebit, ~~ab~~ sublimiora prouehere, nostrisque necessitatibus obuiare, nostros etiam orphanos et viduas eodem modo ac si proprie sui essent, a cunctis impetitoribus protegere, nostrasque et nostrorum quorumlibet oppressiones releuare, ac a verecundia, dampno, nocumento, grauaminibus et quibus libet imminentibus periculis praecustodire anhelat; pura fide nostra, parilique voluntate, modo simili promittimus, et absque fraude et dolo assumimus, praefatis Domino nostro regi et Domine nostrae reginae Consorti suae ac Prolibus eorundem sexus vtriusque veram obedientiam, fidelitatisque constantiam, conseruare, fidelia etiam seruitia exhibere et in eorum cunctis Bonis protegere, ac ipsam Dominam nostram reginam, si cum prolibus aut absque prolibus, a praefato Domino nostro Rege Sigismundo remanere contigerit, in omnibus suis dotibus et aliis bonis suis manuteneri et defensare, pure et fideliter pro posse nostro; in super huius ad nostrae societatis augmentationem et honorem, ac status durationem, et conseruationem semper toto nisu bona fide promittimus intendere et versari; et quod omnia et singula, ex quibus praefato Domino nostro Regi et Dominae nostrae Reginae vel eorum prolibus verecundiam, dampnum, nocumentum vel periculum aliquod vndecunq̄ue et a quibuscunq̄ue euenire posse agnouerimus, ea eidem Domino nostro Regi vel Dominae nostrae Reginae seu eorum prolibus pure

et fideliter redicere, in hisque sanum et fidele consilium eis praebere, et ab omnibus eis contraire volentibus, humanitate industria viribus et toto posse nostris Personis non parcendo ac fortune casibus nos exponere, non expauescendo, eosdem D. nostrum regem, <sup>ve</sup> Dominum nostram reginam, eorumque proles fideliter protegere curabimus, pariter et defensare, consiliaque secreta in secreto tenere, et habere nemini reuelando. Etiam nos Barones, totaque Communitas societatis praemissae, vniuersi vniuersaliter, et singuli singulariter, bona fide nostra assumimus, quod nobis ipsis mutua vicissitudine veram et puram fraternitatem obseruabimus, prout et in quantum secundum Deum cum honore licite facere poterimus, vbi autem casu accedente, aliquem ex nobis, in dictam societatem electis, aduersus alterum ex nobis aliquam materiam controuersionis suscitari contigerit, tunc huiusmodi controuersionis materiam dicto Domino nostro Regi, caeterisque Baronibus ipsius Societatis, significare teneamur; ex eo, quod per ipsum Dominum nostrum regem Sigismundum, et Barones praemissae societatis vniuersimiter deliberetur, quid in talibus fieri expediat? Et quidquid deliberatum fuerit, firmiter obseruetur. Vbi vero aliquem ex nobis de societate aduersus alium extra societatem existentem casualiter, guerram, seu rixam subire contigerit; ex tunc etiam in talibus, per praefatum Dominum nostrum Regem et nos communiter deliberetur, quid iuuaminis, consilii et fauoris seu auxilii tali socio rixam habenti, praebeatur? Et quod quilibet socius noster rixam habens ea, quae sibi per praefatum Dominum nostrum Regem et nos commissa fuerint, facere et obseruare teneatur. Nos iterum Rex Sigismundus et Barbara Regina, Baro-

nesque praetacti ac tota communitas praemissae societatis, vnanimi voluntate, sub bona fide assumimus, vniuersos et singulos ditioni sacrae Coronae regni Hungariae subiectos, cuiuscunque status, gradus et praeeminentiae existant in antiquis, veris iustis, legitimisque consuetudinibus conseruabimus indempnes: si vero aliquas legitimas, bonas et iustas nouitates pro communi bono, commodo, vtilitate, augmento, honore status praescriptorum regnorum excogitare poterimus; tunc circa id vnanimiter semper cum bona dilectione et affectione intendere debeamus; assummentes Nos praefatus Rex Sigismundus omnibus huius nostrae societatis Baronibus id volentibus, quod nunquam aliquod consilium seu negotium huiusmodi nostram societatem concernens cum paucioribus personis, quam cum quinque adminis eorundem Baronum ipsius societatis discutiemus, et finiemus; Nosque praefati Rex Sigismundus et Barbara Regina, quia huiusmodi societatem ad gloriam et exaltationem nominis Christi Jesu, vt praemittitur, animo deliberato, habere instituimus, vt ex eo regnis nostris antefatis salubris vnio, comoda et tranquillitas status proueniant, et in eisdem habeantur et specialiter quod ipsa regna nostra a paganis defensare et melius tueri possimus, promittimus et spondemus bona fide nostra, vt quidquid pro tuitione dictorum regnorum nostrorum, contra paganos, fieri posse excogitare poterimus, contra ipsos laborare et excogitare volumus toto nisu; et Nos praetacti Barones, totaque communitas praenarratae societatis promittimus bona fide nostra, tam contra huiusmodi paganos, quam etiam alias quascunque nationes, his regnis nocere volentes, pro tuitione eorundem semper consilio, humanitate, et

fatigiis propriarum nostrarum personarum, iuuamine tamen et subsidio Domini nostri regis vel Dominae nostrae reginae, aut prolium seu successorum eorundem mediantibus, cum eodem Domino nostro Rege, prolibusue seu successoribus eiusdem, et hoc regno Hungariae, sine recusa velle laborare; ita tamen quod locis, ad quem quisquam societatis praemissae, per regiam Majestatem pro tuitione regnorum praemissorum deputabitur, et iuuamina et subsidia ipsi deputando, ab tuitionem regnorum praebenda et assignanda, secundum consilium, dispositionem et moderationem praemissorum Baronum et Communitatis Societatis praedictae deputerentur et praebentur. Nos iterum praetitulatus Rex Sigismundus et Barbara Regina, Baronesque huiusmodi societatis volumus, vt quosque virtuosos, et bonae humanitatis viros in huiusmodi societatem habere vulerimus, semper tales virtuosos et bonae humanitatis viros ad huiusmodi societatem recipiendi et aggregandi plenam, liberam et omni modam habeamus facultatem; vbi autem aliquem in huiusmodi societatem modo praemisso receperimus, tunc volumus talem ad licita consilia posse intrare eumque in singulis praenarratis conseruare, tueri, et defensare. Sed quod idem in huiusmodi societatem recipiendus super eo iuramentum praestare teneatur, quod omnia et singula praemissa plene et irreuocabiliter obseruabit, et quod in super, si super aliquibus factis, per nos et Barones praedictae societatis quicquam deliberatum et conclusum fuerit, et ipse recipiendus id similiter facere et obseruare, et ipsis conclusis obedire teneatur. Si enim elapso anno huius institutionis aliquem Baronum praenarratae societatis nutu diuino ab hoc saeculo decedere contigerit, tunc

vnum alium de praemissa societate<sup>✓</sup> ultra anniuersarium stetisse dinoscuntur, in Baronem eligere, et sibi de aliqua Baronia providere teneamur; si quem autem dictorum Baronum praemissae societatis mori contigerit, tunc singuli aliorum Baronum, et communitatis societatis huius, si tamen fieri poterit, ad exequias seu sepulturam talis defuncti personaliter transeant; si vero non irent vel aliquibus praepediti ad id ire non possent, tunc quilibet talium ob remedium animae defuncti, triginta missas celebrari faciat, quanto citius poterit, pro comparatione cuiuslibet missae quatuor denarios maioris monetae soluturus et quod quilibet societatis praemissae in signum mortis talis socii vestem lugubrem vno die ferat, quam elapso die pauperi Christi det, et largiatur. Volumus etiam quod singulis feriis sextis quilibet praescriptae societatis vestem nigram ferre teneatur; si quis autem hoc facere neglexerit, tunc quinque Missas in laudem quinque vulnerum Christi faciat celebrari. Similiter quatuor denarios pro qualibet missa persoluendo. Si qui vero praefatae societatis supra descriptam Draconis effigiem, seu signum in aliquo die per obliuionem ferre neglexerit, similiter quinque Missas celebrari facere teneatur, pro comparatione cuiuslibet Missae quatuor denarios soluturus. Vbi autem infirmitate aut timore aliquo vel captiuitate praeueniente praemissum societatis signum quisquam sociorum ferre nequiverit, nullius ex hoc grauaminis onere afficiatur. Casu vero quocumque aliquem sociorum si signum huiusmodi contigerit deperdere et amittere; ex tunc tamdiu donec huiusmodi signum reparare facere poterit, pro non portatione eiusdem grauamen non incurrat aliquale. Nos insuper antelati Sigismundus

Rex et Barbara regina, Baronesque ac tota communitas societatis praefatae similiter bona fide promittimus omni modo via et forma, si et in quantum licite facere poterimus ad haec cogitare, quod etiam alii futuri reges Hungariae signum dictae societatis tempore coronationis eorum cum regali diademate suscipiant et acceptent et quod ipsi reges tempore ademptionis coronae et depositionis Juramenti de observandis statutis et consuetudinibus regni fieri debent, hanc societatem in omnibus clausulis et articulis observare et confirmare iurent et promittant bona fide. Et Nos praefati Sigismundus Rex et Barbara Regina Baronesque regni et tota communitas societatis praenarratae omnia praemissa et singula praemissorum promittimus et assumimus bona fide nostra tacto vivificae crucis ligno, pure absque fraude ac dolo, inviolabiliter observare, praesentium litterarum patrocinio mediante. In cuius rei memoriam et robur perhempnale praesens privilegium Nos Sigismundus Rex et Barbara regina praefati, nostris et dictorum Baronum nostrorum huius nostrae societatis sigillis authenticis pendentibus de certa nostra scientia fecimus communiri. Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Domini Eberhardi, Episcopi Varadiensis, Aulae nostrae summi Cancellarii, dilecti nobis et fidelis. Anno Domini Millesimo Quadragesimo octavo. Pridie Idus Decembris, regni autem nostri anno vigesimo." L. Sigillorum.

Ab extus autem subscripti erant sequentes: Despoth, Comes Cylii, Nicolaus Palatinus. Stiborius, Joannes Vaiuoda, Jacobus Vaiuoda, Pipo, Nicolaus de Zecch, Carolus, Simon, Joannes Grof, Gregorii, Joannes Petrus Cheh, Nicolaus de Chak, Paulus Bissenus, Paulus de Peth, Micha-

el Salamonis, Petrus de Peren, Emericus de Eadem, Johannes frater Palatini. Praesentem Copiam genuino Originali in archiuo I. regni Hungariae conseruato, in omnibus punctis et clausulis conformem esse, in fidem subscriptus testor et recognosco. Datum Posonii die tertia mensis Februarii Anno 1767. L. S. Ad benignum suae Serenitatis Regiae Locum tenentialis mandatum. Franciscus Subich. mpr.

### CCCXVIII.

*Ostoya Rex Bosniae, libertati redditus, Wuchichiis, suis fidelibus, amplas impertitur donationes. 1408.*

In nomine etc: Nos Ostoya, Dei gratia, Rex Bossino Vssorize, inferioris partis Vngariae, et Slavoniae. Per has nostras praesentes literas pateat etc. Quod propter fidem et optimam seruitutem nobis et filio nostro Stephano, per Capitaneum Georgium et Comitem Vuchichium et eorum filios praestitam tunc, quando a Bosnensibus pulsi fuimus, et stetimus in quodam loco nuncupato Bobruas, quorum opere et optima seruitute ac fide erga nos praestita iterum in regnum nostri repositi fuimus; tamquam hi, quos regnare decet, quccirca propter eorum erga nos merita et fidem bene. (Almissam, Primor. totam cum parte Zarnounienzae ad Narentam, cum multis aliis locis, ei confert) Datum Bosnae mense Decembris Anno MCCCCVIII.

Lucius di Trau. p. 391. „Ostoya eletto Ré di Bosna del 1397. fu del 1405. cacciato, et in luoco suo eletto Tuartko Scuro; ma di nuouo del 1408. recuperare il Regno, come in vu suo priuilegio, che nel' Archiuo d' Almissa si' conserua si legge.